



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von
Egræ, 1687

Lectori Benevolo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

LECTORI
BENEVOLO.

Hæstante inter ancipites tyothesarum apices, & perplexas bibliopolarum curas in tertium jam annum Opere meo *Tergemina concionis*, partem inde aliquam excerpere & seorsim typis mandare placuit; *Philippicas* videlicet, seu *investivas* in notoria urbium peccata, nè desiderium & expectationem Amicorum tamdiu defraudarem, quibus prænuntia fama nonnullam fecisse visa est orexim. Philippicas ergò promo à Philippo Macedonum Rege sic dictas, in quem græcæ Eloquentiæ princeps Demosthenes acriter investus, orationibus suis nomen *Philippicarum* indidit; Tullius verò latinæ parens facundiæ investivas pariter suas in M. Antonium nomine simili insignivit. Grandes hos oratores etsi assequi me posse desperaverim, sequi nihilominus placuit, & notoria, non unius hominis; sed totius populi scelera arguere, increpare, cõfigere juxta Apostolicum præceptum: *predica verbũ, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa* 1. Tim. 4. v. 4. & repetitum toties Apostolicæ Sedis mandatum, quo Ecclesiastæ jubentur scelerum odium excitare in populis, non inanem, ex mellitis nescio quibus conceptuum lenocinijs, sectari plausum, & salem potiùs putridis mortalium ulceribus, quàm saccharum inspergere, cum nusquam prædicatoribus dictum sit: *vos estis saccharum, sed sal terra*. Acuta est observatio Hieronymi, cur sacrificio mel excluderet Deus, salem perpetuò voluerit adhiberi: *apud Deum enim* (verba Doctoris maximi ep. 19. ad Eustochium) *nihil voluptuosum, nihil tantum sive placet, nisi quod in se habet mordacis aliquid veritatis*. Prima, quam ad gentem peccatricem divinus Verbi Incarnati Præcursor & præco orationem habuit, Philippica fuit à Matthæo c. 3. à v. 7. accuratè descripta. Joanni verò, propter Philippicas potissimùm suas in carcerem Sebastianum ab Herode missò, succedens in prædicationis munere Dei Filius, à Philippica pariter orsus est, ut Marcus c. 1. à v. 14. adnotat: *postquam autem traditus est Joannes, venit Iesus in Galileam prædicans Evangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum est tempus, & appropinqua vit regnum Dei: pœnitentini & credite Evangelio*. Nec alio dicendi genere crebriùs Deus-homo usus legitur, quàm acrium investivarum in Pharisæos, quos genimina viperarum, sepulchra dealbata, ex patre diabolo prognatos dicere non dubitavit. Quin & discipulis suis pro suprema allocutione Philippicam dixit *exprobrans incredulitatem eorum, & duritiem cordis*, ut suo cælestis Magister exemplo animaret prædicatores ad errores populorum, & scelera audacter arguendum & increpandum. Nimirum ut Papa Innocentius *dist. 83. c. error* pronuntiavit: *error, cui non resistitur, approbatur; & veritas*

ritas, cum non defenditur, opprimitur. negligere quippe, cum possis deturbare per-versos, nihil est aliud, quam fo-vere: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori, cum potest, desinit ob-viari. Væ silentio suo Vates Evangelicus dicit, eò quòd tacuerit; cum acerrimè in sacrilegum regem detonare debuisset; cuius damno perterritus Hippo-nensis Orator & Præsul exclamat homil. 28. ex 50. in magno sum peri-culo & exitio constitutus, si tacuero; sed cum ego dixero, & imple-vero officium meum, vos jam attendite periculum vestrum.

Importunè, opportunèque arguendi sunt peccatores, ut ministeri-um impleant suum prædicatores. quid est opportunè importunè, quærit Cæsarius Episcopus Arelatensis hom. 26. nisi opportunè volentibus, im-portunè nolentibus? Volentibus audire Verbum Dei offerendum est; fastidientibus ingerendum: nè fortè contra nos ante tribunal Christi stan-tes dicant, se à nobis admonitos non fuisse, & animarum illorum sanguis de manibus nostris requiratur. Captanda est opportuna importunitas ad fructum uberiorem in tempore suo legendum juxta auream illam Magni Gregorij doctrinam p. 2. Pastoral. c. 4. Diciturus (Apostolus) importunè, præmisit opportunè, quia scilicet apud Auditoris mentem ipsa suã utilitate se destruit, si habere importunitas opportunitatem nescit.

Quapropter ut opportunè Philippicæ meæ provenirent, solis easdem Dominicis inscripsi, pro diebus festis nullas in lucem pro-ferendas esse censui, eò quòd importunum mihi visum sit, festorum dierum lætitiã infestis Philippicarum tonitruis fulminibusque in-terturbare. Quodsi tamen & his opportuniùs aliquando videretur arguere & increpare, quàm Divorum panegyres concinnare, facilem Philippicarum è Dominicis in Festos dies transferendarum methodum adjunxi.

Denique si non idem omnibus Philippicis rigor & vigor inesse videbitur & pauculæ de multis fortasse probabuntur, varietati tem-poris ac valetudinis culpa omnis adscribatur, cum neque oratores maximi parem ex omnibus orationibus plausum ac fructum fecerint. certè ex vicenis quaternis, quas Cicero scripsit, Philippicis, unica dun-taxat Divina nomen tulit & secunda meruit duplici nomine nomen, de qua Satyricus:

Proxima quæ primæ est, Divina Philippica passim
Dicitur.

Quanquam nec elegantiam mihi Tullianam, nec acumen sectari libuit, verito nè vapularem aliquando cum Hieronymo, si Ciceronia-nus audirem: sit sermo contemptibilis, sed in offensione spiritus & vir-tutis, quam ut suis benevolus lector suffragijs & beneprecationibus in hæc derivet Philippicas, vehementer opto & obtestor.

PHI-